

## PRÆFATIO SECUNDÆ EDITIONIS.

**N**ondum præterlapsum est biennium, cum primum in publicum prodiret hæc Bibliotheca Iuris. Exemplaria tam breui temporis lapsu distracta, satis docent, non sine adplausu eandem fuisse receptam, vt desiderante Bibliopola, nouam adornare fuerim coactus. Ordinem & verba potissimum seruaui prioris editionis, paucissimis saltem immutatis, quibusdam hinc inde additis. Libros enim omisos, vel recentius editos, conueniente loco inserui, vt eo magis rem litterariam amantibus inseruirem. Cum vero tot speciales extent Iuris materiæ, adieci in hac iterata editione quoque indicem rerum atque materiarum, de quibus in hac Bibliotheca scriptores recensentur, vt eo facilius quisque eadem possit vti. Hæc sunt, quæ in altera hac Editione fuerunt præstita.

---

## PRÆFATIO TERTIÆ EDITIONIS.

**T**ertia nunc vice in publicum prodit hæc Iuris Bibliotheca, altera eiusdem editione per semestre iam spacium deficiente. Pleniorum longe & in quibusdam commendatiorum eandem exhibemus, ita, vt maiori vsui esse possit lectoribus. Non enim solum integra capita inseruimus, quale est caput secundum de fontibus Iuris gen.